

## CAPUT II.

UTRUM POTUERIT HOMO IN STATU PURÆ NATURÆ  
CREARI, IN ORDINE AD NATURÆ INTEGRITATEM,  
ET CONSEQUENTER AN POTUERIT SINE ILLA IN-  
TEGRITATE CREARI.

1. *Prima opinio de integritate naturæ.* — Hæc duo inter se sunt connexa, et ideo simul tractanda sunt, ab integritate naturæ initium sumendo. De qua tres possunt cogitari sententiæ. Prima est, integritatem naturæ nihil aliud esse nisi substantiam naturæ cum omnibus facultatibus corporis et mentis sine ulla diminutione, vel in numero, vel in perfectione intensiva illarum, neque in aliqua alia conditione quæ ex natura rei ex hominis essentia manet; et consequenter non posse hominem in pura condi natura, quin statum etiam integræ naturæ recipiat. Ita opinatur Durand., in 2, distinct. 28, q. 1, unde concludit, eo ipso quod homo sine gratia, vel culpa, aut pœna creetur, in statu puræ naturæ constitui, quod ad intrinsicam compositionem et perfectionem naturæ spectat. Et suaderi hoc potest, quia omnis res in pura natura sua constituta necessario habet integritatem suæ naturæ; ergo et homo, nam est eadem ratio in illo quæ in aliis. Antecedens patet inductione in angelis, cœlis, brutis, elementis, etc.; et ratio est, quia natura pura in qualibet re includit essentiam, et facultates omnes naturæ debitas absque ullo defectu: ergo est integra natura. Quæ ratio etiam in homine locum habet, quia loquimur de homine adulto et in perfecta ætate constituto, ut possit ratione uti; ille ergo in pura natura includit corpus integræ quantitatis cum omnibus membris, et organis, ac facultatibus externis et internis sensuum, et cum sanitate, et viribus corporis, et ex parte animæ non recipit diminutionem, nec in substantia, nec in potentiis; ergo si homo habet puram naturam, necessario habet etiam integram naturam. Et confirmatur ex ipso nomine, quia si homo in puris naturalibus non habet integritatem naturæ, ergo habet naturam non integram: ergo diminutam, et quasi mancā, quia si est non integra, aliquid necessarium ad integritatem illi deest, et hoc est esse mancā et diminutam; at hoc repugnat puræ naturæ, quia si natura est pura, habet omnia naturalia sine diminutione, et solum excludit ea quæ supra naturam sunt: ergo.

2. *Censura dictæ opinionis.* — Hæc opinio singularis est inter theologos catholicos, et simpliciter falsa, si recte, et juxta communem usum et sensum theologorum, terminis utamur. Quod ideo adverte, quia quæstio potest in uno sensu esse de re, et in alio de solo nomine. Ad quod explicandum, suppono statum integræ naturæ includere omnia quæ status puræ naturæ, scilicet, animam cum suis spiritualibus potentiis, et corpus integrum cum omnibus facultatibus sensitivis, et earum naturalibus inclinationibus, cum dispositione corporis et organorum ad liberum illorum usum. Ex qua compositione humanæ naturæ nude spectata oritur, necessitate quadam naturali, illa difficultas in operatione virtutis, quæ ex rebellionem inferioris appetitus, et ex corporis infirmitate nascitur, quam nos experimur, et de qua Apostolus conqueritur ad Roman. 7. Igitur quæstio de nomine erit, an natura humana sic condita, cum ista contrarietate et repugnantia appetituum, sit dicenda integra propter integritatem, ut sic dicam, corporis et animæ, quoad vires omnes et facultates connaturales, vel potius sit dicenda non integra propter imperfectionem illam connaturalem repugnantiam appetituum carnis et spiritus. In quæstione igitur de voce non est immorandum, nam constat naturam sic conditam posse vocari integram, id est, non monstrosam, neque imperfectam privative (ut sic rem explicem) id est per carentiam perfectionis debitæ naturæ, etiamsi negative sit imperfecta, id est, sine perfecto ordine, et concordia potentiarum et appetituum, cujus natura illa est capax, licet non sit illi debita. Et hoc solum probat ratio, et fundamentum pro sententia Durandi propositum.

3. *Status integræ naturæ proprie in appetitus subjectione sistit.* — Nihilominus tamen, præter hunc statum, consideratur in homine alius, in quo, ultra omnes naturales facultates, habeat homo quamdam specialem perfectionem, quæ consistit in carentia fomitis et effrænate concupiscentiæ, seu in perfecta subjectione appetitus sentientis ad rationalem, ita ut inferior appetitus contra superiorem moveri, aut rationem prævenire non permittatur. Et hic status vocatur proprie integræ naturæ, secundum theologorum usum, ut constat ex Cajetano, Conrado, Medina, et aliis in principio hujus materiæ; et Soto, l. 1 de Nat. et Grat., c. 5. Nam quia humana natura pure spectata, prout capite præcedenti proposita est, quasi divisa est in suis naturalibus affectibus ad diversa tendentibus, et quasi manca

ad recte ambulandum in suis moribus, ideo, quando in suis propriis facultatibus internam pacem et concordiam recipit, quasi integrari censetur, et ita perfici ut convenienter in moribus progredi possit. Ac proinde vox illa, *status integræ naturæ*, accommodata visa est ad illam perfectionem significandam.

4. *Primi parentes integræ naturæ statum assecuti in conditione sua.* — Ex Patribus hoc late confirmat Concilius in *Thesaur.* tom. 1, art. 3. — De illo autem statu supponimus non solum esse possibilem, quod videtur per se notum, cum nullam involvat repugnantiam, sed etiam datum esse primis parentibus in sua creatione, ut theologi statim allegandi communiter sentiunt, cum D. Augustin., lib. 14 de Civitat., cap. 10 et 17, et lib. 4 contra Julian., cap. 13, et aliis locis, quæ statim referam; in quibus docet primos parentes non sensisse, nec sentire potuisse motum libidinis ante peccatum, eamque perfectionem (quod pertinet ad rationem status) semper conservaturos fuisse, si non peccarent. Idque aperte docet Concilium Trident., sess. 5, ubi in hoc sensu definit concupiscentiam ortam fuisse ex peccato, et ita exponit Paulum, qui interdum appellat concupiscentiam peccatum, quia ex peccato est, ait Concilium, et ad peccatum inclinat. Habetque hæc veritas fundamentum in Scriptura, Ecclesiastic. 5: *Deus fecit hominem rectum*, quod de rectitudine removente concupiscentiam exposuit Hieronymus, lib. 1 contra Jovinian.; et Sap. 2 dicitur: *Creavit Dominus hominem inextinguibilem*. Item de perfectione ac virtute ejus multa dicuntur Eccles. 17. Et Genes. 2, de eisdem primis hominibus dicitur non vidisse se esse nudos, donec peccarunt, non quia cæci essent, sed quia non tangebantur illo visu, ut recte dixit August. lib. 9 Genes. ad litter., cap. 10, et lib. 11, cap. 31; et Gregor., lib. 26 Moral., cap. 12, alias 13. Ratio autem in primis est, quia voluit Deus perfectionem illam hominibus a se conditis conferre, et ita decuit sapientissimum artificem, sicut postea eandem perfectionem contulit humanitati Christi Domini, et B. Virgini in Conceptione sua, propter singulares eorum dignitates, ut alibi dictum est.

5. *Sine præfata integritate potuit homo a Deo condi.* — Præterea, supposita dictæ vocis significatione, non minus clarum est potuisse Deum humanam naturam sine illa integritate creare, ut cæteri theologi affirmant, et Durand. ipse non negat. Quia integritas naturæ, dicto modo explicata, est donum re ipsa distinctum

ab essentia hominis, et ab omnibus physicis facultatibus ejus: ergo potuit a Deo condi cum suis membris et facultatibus omnibus naturalibus, sine illo dono, quia nulla potest ostendi repugnantia. Item nunc de facto creantur homines sine illa integritate in pœnam culpæ: ergo etiam absque culpa posset Deus hominem sine illo dono creare. Probat consequentia, quia vel illud donum non est connaturale homini, nec suæ naturæ debitum, vel etiamsi sit, Deus, ut supremus dominus, posset hominem cum illo defectu creare, sicut etiam posset cæcum vel claudum condere.

6. *De quæstione res.* — De homine igitur sic condito sine speciali dono integritatis, duo interrogari possunt, quæ ad rem maxime spectant. Unum est, an talis homo censeretur integer, seu habere integritatem naturæ, saltem quoad vires sufficientes ad servandam constanter et perseveranter totam legem naturæ, et ad vitandum, etiam collective, omnem lapsum contra illam, saltem gravem, seu delibatum. Et in hoc sensu loquitur aperte Durandus loco allegato, dum ait hominem conditum in sola natura, sine culpa vel gratia, habere naturam integram, etiam ad dictum effectum servandi constanter totam legem naturæ, suis naturalibus viribus, quod variis rationibus suadere nititur. In hoc vero sensu resolutio illa falsa est, ut bene notavit Henric. quodl. 6, quæstione undecima, quia in homine sic condito esset eadem repugnantia concupiscentiæ quæ nunc est, cum qua non potest homo integre operari bonum sine superiori adjutorio; ergo talis homo non potest dici integer, seu in statu naturæ integræ, secundum illum respectum. Consequentia nota est ex declaratione facta. Minor autem ostenditur late in libro sequenti, ubi solvemur rationes Durandi. Et de Majori dicemus infra in hoc libro, eamque (ut existimo) non negaret Durandus, quia illa repugnantia appetituum tam intrinsece sequitur ex naturalibus conditionibus eorum non impeditis, sicut corruptibilitas sequitur ex mixtione elementorum, vel sicut fames et sitis sequitur ex corpore humano mortali. In quæstione igitur hoc sensu proposita, nulla superest difficultas quæ ad hunc locum pertineat.

7. *An innocens in pura natura condatur.* — *Secunda opinio cum suo auctore et fundamento.* — Ex hac vero resolutione, sequitur altera interrogatio magis hujus loci propria, videlicet, an homo innocens sine illo dono integritatis conditus, et alias etiam carens gratia et ordina-



tione ad supernaturalem finem, censendus sit creatus in statu puræ naturæ, vel potius in statu naturæ quasi monstrosæ; et e converso, an homo habens dictam naturæ integritatem posteriori modo explicatam, possit vere dici habere puram naturam; quod est quæerere an illa integritas sit humanæ conditioni naturalis, et ideo non excedat puram naturam. In qua quæstione fuit secunda sententia Michael Baji, qui, inter alia quæ de gratia docuit in quodam art. 26, sic ait: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ, sed naturalis ejus conditio.* In quibus verbis aperte sentit naturæ integritatem, humanæ naturæ secundum se spectatæ debitam esse. Unde ultima ejusdem auctoris propositio fuit: *Falsa est Doctorum sententia asserentium primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.* Per quam naturalem justitiam intelligit non solum innocentiam a peccato; de hac enim nemo dixit potuisse hominem sine illa condi a Deo in prima institutione, cum potius omnes doceant non potuisse creari in statu culpæ, ut supra dixi; intelligit ergo naturæ integritatem, sine qua putat non potuisse naturam humanam institui, saltem secundum legem naturæ debitam. Fundamentum ejus esse potuit, quia sine dicta integritate non posset homo, alias carens etiam donis gratiæ, servare legem naturalem, vel honeste vivere: ergo non potuit naturali et debito modo sine illo dono creari. Probatur consequentia; tum quia cuicumque naturæ debetur illa integritas quæ ad actum sibi connaturalem præstandum necessaria est: tum etiam quia alias necessitas illa peccandi, quæ ex tali defectu oriretur, in Deum, talis naturæ auctorem, refunderetur, quod esse non potest: ergo est debitum naturæ hominum, ut creetur cum integris viribus quibus possit vincere peccatum et servare legem naturæ. Alias Deus deficeret in necessariis, et illi tribueretur culpa, quia necessitatem illius cum natura contulisset: quia homo sine integritate naturæ non habet vires sufficientes ad vitandum peccata; ergo integritas hæc est debita ipsi naturæ. Unde ob hanc causam dicitur homo læsus in naturalibus, quando illud donum amisit. Confirmatur, quia hoc est medium necessarium ad beatitudinem hominis naturalem assequendam: ergo debetur tali naturæ.

8. *Tertia et vera opinio, status integræ, diversus a puræ naturæ statu; donum ille, et in hoc poluit etiam homo creari.* — Sed nihilominus est tertia et vera sententia, donum spe-

cialis integritatis naturæ non esse connaturale homini, ideoque et statum hominis in natura integra diversum esse a statu puræ naturæ, et in hoc statu potuisse hominem sine tali naturæ integritate creari. Prima pars mihi certa est; prius vero quam probetur, alia terminorum æquivocatio auferenda est. Solet enim interdum vocari naturale quidquid homo habet simul cum natura, juxta illud: *Eramus natura filii iræ*, et sic dici potest integritas naturæ fuisse connaturalis Adamo, quia fuit illi concreata. At nunc non ita loquimur, quia hoc modo etiam gratia potest dici connaturalis Angelis, et primo homini, neque, proprie loquendo, vocatur naturale quidquid naturæ datur in instanti creationis, nisi aliquo modo ex vi ipsius naturæ detur. Alio item modo solet dici naturale quidquid perficit naturam in ordine ad naturales actus, vel ad supplendum aliquem defectum naturalem. Quo sensu solet interdum integritas naturæ, seu originalis justitia, dici naturalis, ut notavit Vega, lib. 2 in Trident., cap. 12, quia naturales quosdam defectus supplebat et sanabat, quod facere potuisset sine elevatione naturæ humanæ ad finem supernaturalem, vel ad proprium ordinem gratiæ, ut statim dicam. Et neque hoc modo hic sumitur illa vox *naturale*; sed quatenus tertio ac propriissimo modo naturale dicitur quod ex principiis naturæ oritur, eive debetur secundum connaturalem ordinem et providentiam, et hoc sensu dicimus donum illud integrans naturam non fuisse naturale.

9. *Patres, et scholastici passim nostram conclusionem docent.* — Atque ita conclusio posita a theologis communiter recipitur. D. Thom., 1 part., quæst. 95, art. 1, indicat rationem a posteriori, quia si illud donum naturale esset, post peccatum mansisset, quia peccatum non tollit naturalia dona, teste Dionys., cap. 4 de Divin. nominibus; divo Thoma 1. 2, quæst. 85, artic. 6, et quæst. 89, art. 3 et 4, contra Gent., cap. 52, ubi significat esse doctrinam fidei. Idem sumitur ex eodem, 1 part., quæst. 100, artic. 1; et in 2, distinct. 20, quæst. 2, artic. 3; et quæst. 4 de Malo, art. 2, ad secundum, et quæst. 5, art. 1, ad 13. Idem sentiunt Scot. in 2, distinct. 29, § *Ad primum argumentum*; et Gabr., dist. 30; et ibi Durandus in dist. 20, quæst. 5; Marsil. in 2, quæst. 18; Capreol., distinct. 30, quæst. 1, art. 2; Cajetan., Soto et omnes Thomistæ. Estque sententia Patrum, quos late refert Bellarmin., lib. 1 de Statu primi hominis, cap. 5. Interdum enim donum illud vocant *caeleste donum*, ut Chry-

sostomus, homilia 15 in Genes.; aliquando vocant *gratiam*, ut Cyrill., 1 in Joannem, capite nono, et sumi potest ex Ambros., libr. de Paradis., cap. 5 et 14. Clarius ex Augustin. 4 contra Julian., cap. ultimo, dicente: *Gratia magna erat, quod terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in nudo corpore quod punderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet.* Et 1 Retract., cap. 5, contrarios effectus naturales vocat. Tandem contraria sententia reprobata est a Pio V et Gregor. XIII, in Bulla contra Michaellem Bajum.

10. *Ratiocinatione ex appetitu et voluntate roboratur.* — Ratione tandem declarari potest, quia potentiæ ex quibus nascitur difficultas et repugnantia, sunt homini connaturales, voluntas nimirum, et sentiens appetitus: ex hominis enim essentia, quatenus ex spiritu et carne constat, naturaliter dimanant, ideoque necessarium est hominem in omni statu utraque facultate præditum esse. Hæc autem potentiæ inclinationes habent naturales, ex quibus difficultas bene operandi et repugnantia oritur, quam describit Apostolus, Rom. septimo; ergo repugnantia illa est tam connaturalis homini, sicut corporis corruptibilitas, vel sicut difficultas et lassitudo in motu progressivo, quæ ex corporis gravitate nascitur. Præterea homini naturale est, ut a sensu cognoscere incipiat; appetitusque sensitivus hoc habet peculiare, quod naturaliter movetur ab objectis sensu perceptis, et ex natura rei nihil potest inveniri in homine, quod inclinationem ejus tollat, aut minuat, neque etiam per aliquid connaturale homini potest impediri appetitus inferior, ne superiorem præveniat, quia est naturale agens et naturaliter immutatur: ergo donum impediens hos motus non potest esse naturale.

11. *Ampliatur adhuc duobus modis.* — Declaratur præterea, quia duobus modis intelligi potest appetitum fuisse frænatum; primo, quia præveniebatur ne objecta illi occurrerent quæ illum possent ad malum incitare, vel quia præsentato objecto detinebatur, ne exiret in actum, donec voluntas vellet. Prior modus plane non cadit sub humanam providentiam, cum anteedat deliberationem et cognitionem rationis, quæ incipere debet a sensibus. Et ideo divus Thomas prima parte, quæstione nonagesima-quarta, articulo quarto, ad quintum, et quæstione nonagesima-septima, articulo secundo, ad quartum, agens de re simili, illam tribuit divinæ providentiæ peculiari,

quæ nulla probabili ratione dici potest debita naturæ, cum valde extraordinaria sit. Alter vero modus omnino est præter naturam, nam solum esse potest, vel quia DEUS negat concursum appetitui, ne moveatur (quod constat esse præter naturam), vel (quod difficilius est) quia infundit appetitui qualitatem aliquam vel habitum, qui ipsum impediat ne moveatur donec ratio præcipiat. De quo habitu etiam controvertitur an possibilis sit, ut in prima parte disputatur, et in tertia parte aliquid tetigimus tractando de Sanctificatione Beatæ Virginis: esto vero sit possibilis, sine dubio neque ex natura nascitur, ut per se constat, neque naturæ debitus esse potest: cum modus ille operandi ex necessitate naturæ, stante sufficiente motione objecti, naturalis sit. Est ergo donum illud supra naturam in sensu explicato. Et confirmatur, quia alias natura humana nunc esset monstrosa, quia careret perfectione debita suæ naturæ: consequens est falsum, quia Deus ordinarie non punit peccata tollendo proprietates naturales, utique statuta lege, et ordinaria ac universali, juxta sententiam Dionysii supra allegatam, et communiter receptam, de qua iterum in capite nono hujus libri dicemus. Ergo concupiscentia hæc, et fomes quem patimur, licet sit pœna peccati, non est aliquid monstruosum in humana natura; ergo nec opposita perfectio est illi debita.

12. *Duæ aliæ conclusionis partes ratione probantur.* — Atque hinc facile probantur aliæ duæ partes hujus sententiæ, nimirum, statum integræ naturæ diversum esse a statu puræ naturæ, quia includit omnia quæ ad naturam pertinent, et addit aliquid ei non debitum. Et hinc etiam fit ut illi status ita sint separabiles, ut possit homo in statu puræ naturæ, et sine prædicta integritate creari, quia carentia illius integritatis præcise spectata non est contra naturæ puritatem; cum non privet illam aliqua perfectione connaturali, seu naturæ debita. Et, illa ablata, haberet homo in pura natura creatus duplicem appetitum sibi connaturalem; sine illis enim vel nullo modo existere potest, vel non nisi monstrose et præter naturam, ut ex dictis patet: potest autem Deus creare hominem sine tali defectu, ut per se constat, et sine dono superaddito, et naturæ non debito, quia hoc pendet ex sola liberalitate Dei; ergo homo sic conditus esset in pura, et non in integra natura.

13. *Fundamenti oppositi solutio.* — Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ, con-

cesso primo antecedente, nimirum, hominem destitutum naturæ integritate non posse viribus suis totam naturæ legem sine lapsu servare, negatur consequentia, videlicet donum integrans naturam esse naturæ debitum. Quia in physico rigore solum debentur naturæ intrinsece facultates cum generali concursu causæ primæ influentis in causas secundas, et cum illis juxta exigentiam illarum et generalis ordinis universi. Quod autem in tali natura sic composita, nempe humana ex corpore et spiritu constante, inde oriatur naturalis repugnantia inter facultates appetendi quasi contrarie in suis motibus, naturalis hominis imperfectio est, quam non tenetur auctor naturæ tollere, vel impedire, et ideo non potest esse tali naturæ debitum, ut Deus illos motus impediatur vel quod naturales inclinationes auferat, sed potius postulat ordo mere naturalis ut generalem concursum illis appetitibus non denegat, suosque motus illos agere sinat. Sicut habere corpus corruptibile et morti obnoxium, imperfectio quædam est, ita vero naturam consequens, ut status immortalitatis, quem homo habuit ante peccatum, non potuerit esse connaturalis, nec ex naturæ debito, sed potius ex liberalitate Dei præter debitum naturæ.

14. *Primæ, et secundæ probationi satisfi.* — Unde, ad primam consequentiæ probationem, respondetur debitum quidem esse unicuique naturæ principium, et concursum consentaneum actibus naturalibus, non tamen esse debitum ut tollantur omnia impedimenta quæ ex aliarum causarum communi cursu accidere possunt. Unde ad alteram probationem, respondetur negando sequelam, nam licet ex illo intrinseco defectu naturæ contingat sequi peccatum, non potest Deo attribui, quia illa occasio mere naturalis est; consummatio autem culpæ semper est voluntaria et libera proximo operanti, a Deo autem non est intenta, sed juste permissa, quia non tenetur omnes defectus creaturarum supplere aut impedire. Ideoque merito dixit Augustinus, 1 *Retract.*, capite nono, licet ignorantia et difficultas essent a principio in natura, non ideo Deum culpandum, sed laudandum fuisse. Eo vel maxime quod homo sic institutus, cum solis auxiliis naturæ debitis, interdum ac sæpe posset honeste operari, licet non semper, ut libro sequenti dicam. Quia vero per donum integritatis, quando datur, natura ipsa juvatur, et aptior redditur ad ipsas naturales actiones perficiendas, ideo homo, quan-

do tale donum semel acceptum peccando amisit, dicitur fuisse in naturalibus læsa, ut cum Beda theologi loquuntur, et infra explicabimus.

15. *Solutio brevis confirmationis.* — Ad ultimam autem confirmationem, quæ attingit difficultatem, quomodo posset homo in puris naturalibus conditus naturalem beatitudinem assequi, non possumus hoc loco ex professo satisfacere, nam pertinet ad materiam de Beatitudine, 1. 2, quæstione quinta, et ideo breviter dico integritatem naturæ non fuisse medium simpliciter necessarium ad naturalem beatitudinem consequendam. Nam imprimis in anima separata posset beatitudo illa obtineri ab aliquibus, qui in hac vita non peccarent, ut maxime essent, qui ante usum rationis decederent. Pro adultis vero in hac vita peccantibus posset Deus modum aliquem illi statui proportionatum, quo a culpa liberarentur, statuere, ut attigi in materia de Pœnitentia, et in discursu præsentis libri iterum occurret. Denique posset etiam Deus tunc juvare homines ad non peccandum per moralia auxilia non attingentia supernaturalem ordinem. Quod si tunc ita se gereret DEUS cum humana natura, non proprie extraheret illam ultra statum puræ naturæ, quia neque ordinaret illam ad finem supernaturalem, neque propriam gratiam illi donaret, quia hæc non reputatur talis, nisi in ordine ad veram sanctitatem et supernaturalem beatitudinem obtinendam, nec denique daret illi integritatem naturæ, ut dixi. Illa igitur esset quædam moralis providentia consentanea naturæ rationali, quæ mutabilis est, non solum physice, sed etiam moraliter. Neque posset dici illa providentia debita ex parte ipsius naturæ, sed solum veluti ex naturali misericordia Dei, quia talis natura esset indigens, et omnino divinæ Sapientiæ ac liberalitati consentaneum esset, ut illi provideret. Atque hinc posset definiri alia quæstio de statu puræ naturæ in ordine ad auxilia gratiæ ad operationem honestam aliquando perficiendam: quæ pendet ex dicendis in libro sequenti, et ideo breviter in sequenti capite illam expediemus, graviorem disputationem in librum sequentem remittendo.

### CAPUT III.

UTRUM STATUS INNOCENTIÆ SEU ORIGINALIS JUSTITIÆ, ULTRA STATUM PURÆ ET INTEGRÆ NATURÆ ALIQUID ADDAT?

1. *Varii modi assignandi discrimen inter originalem justitiæ et naturæ integritatem.*

—Explicuimus quomodo status integræ naturæ a statu puræ naturæ differat; nunc, ad perfectam ejusdem status cognitionem, oportet de justitia originali aliquid dicere, et illam cum integritate naturæ comparare. Suppono autem statum innocentie et originalis justitiæ, juxta usitatam horum verborum significationem, eundem esse, ut mox declarabo. De comparatione autem illius ad statum integræ naturæ videtur esse aliqua controversia inter theologos. Aliqui enim non distinguunt statum integræ naturæ ab statu innocentie vel originalis justitiæ, ut constat ex divo Thoma 1. 2, q. 109, art. 1 et 2; et Soto, libro primo de Natur. et Grat., cap. 5 et 6, quem alii sequuntur. Alii vero, distinguentes hos status, dicunt statum originalis justitiæ solum addere, ultra naturam integram, pactum et promissionem Dei transfundendi in posteros donum illud integritatis naturæ, si primus homo, qui illud recipit, illud peccando non amitteret. Ita ut status ille dicatur integræ naturæ respectu cujuscumque personæ cum ea perfectione conditæ, etiamsi pro se tantum illud donum accipiat; originalis vero justitiæ dicatur solum quando datur veluti pro toto genere, seu per originem transfundenda, si per primum recipientem steterit. Sed hæc differentia parva est, et valde extrinseca, nam, in ordine ad effectus, privilegium (ut sic dicam) idem est, et solum differt in ordine ad subjecta quibus conceditur; secundum quam duplicem habitudinem, seu considerationem, potest quidem integritas naturæ vocari personalis, si pro una tantum persona detur, ut fuit in Beata Virgine, et potest dici originalis, si pro tota progenie concedatur; proprie autem non dicitur status naturæ, nisi quatenus pro ipsa specie aliquo modo conferatur, saltem sub conditione non peccandi. Hoc autem modo etiam justitiæ illa quam originalem vocamus, posset concedi uni personæ pro ipsa tantum, vel simul pro posteritate, et ita nulla relinquitur distinctio, nisi in nomine. Aliter ergo Cajetanus, in dicto articulo secundo, distinguit inter dictos status, quia justitiæ originalis addit supra integritatem naturæ indefectibilem ordinem, et corporis sub anima, et inferioris appetitus sub superiori, quamdiu superior est subditus Deo. Quod amplius non declarat. Duas tamen videtur in illis verbis includere conditiones status originalis justitiæ: una est, quia solum est datus sub illa conditione, ut solum duraret quamdiu voluntas servaret debitam subjectionem ad Deum,

et in hac non credo differre ab statu integræ naturæ, nam hæc etiam data est de facto sub eadem conditione, quantum ad durationem ejus: de possibili autem posset Deus utrumque statum donare sine tali limitatione. Altera conditio est, quod justitiæ originalis includebat indefectibilem ordinem corporis sub anima, quam integritas naturæ non includit. Et differentia vera mihi videtur, longiori tamen declaratione indiget.

2. *Primus innocentie modus.* — *Alter excellens innocentie modus.* — Ut ergo rem totam explicem, adverte imprimis duobus modis posse aliquem statum dici innocentie, seu justitiæ originalis, quos oportet distinguere, ne propter solam vocum ambiguitatem controversia oriatur, ut illos distinxit Henricus, quodlib. 6, quæst. 11. Primo enim innocentia, ut sic, tantum significat carentiam culpæ, et hoc modo omnis persona a Deo immediate creata, in statu innocentie creatur, et quia talis innocentia ex tali origine et emanatione a Deo provenit, qui non potest esse auctor peccati, ideo innocentia illa dici potest originalis. In hac ergo significatione homo proxime creatus a Deo, sive in natura integra, sive in pura natura, dici potest creatus in innocentia originali, et quamdiu non peccaverit, dici potest in illa innocentia originali stare, seu permanere. Eademque innocentia dici potest, quædam originalis justitiæ non supernaturalis, sed naturalis, quatenus rectus ordo, quem natura bene instituta ad suum habet auctorem, quamdam participationem, seu imaginem justitiæ præ se fert. Jam vero altiori modo sumitur innocentia seu justitiæ originalis, a qua status innocentie seu originalis justitiæ denominatus est. Per innocentiam enim intelligimus non solum carentiam culpæ præteritæ vel præsentis, sed etiam futuræ, quantum est ex vi status, qui sub tali conditione et perfectione consideratur, ut sit aptissimus ad innocentiam servandam, et secum nullam culpam compatiatur, imo nec defectum aliquem ex his qui nunc sunt effectus culpæ. Et hic status per antonomasiam vocatur status innocentie, vel etiam dicitur status justitiæ originalis: justitiæ quidem, vel quia innocentia est quædam justitiæ, ut dixi, vel quia talis status semper supponit supernaturalem justitiæ, ut mox dicemus; originalis autem, quia et in ipsa origine creata fuit cum homine, et quia si homo in illo statu perseverasset, justitiæ illa per originem ad posteros dimanasset.